

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XVI. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Dominica XV. post Trinitatis.

433

evanescit: aurum & argentum æruginar, Jac. 5. v. 3. & in calore solvetur, 2. Petr. 3. v. 10. animam non saturabit, nec ventrem implebit, Ezech. 7. v. 17. Quilibet videar, ut in Deo ditescat. Quia non in abundantia cujusquã vita ejus, ex his, quæ possidet, Luc. 12. v. 15.

3. *In vita luxuria.* Hinc Epicureorum vox: Venite & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter: quoniam hæc est pars nostra & hæc est fors nostra, Sap. 2. v. 6. Utique hæc pars & fors eorum. Regnum enim Cælorum quod mundani in carnalibus voluptatibus quærunt, tandem ab inferno absorbetur, qui dalaavit animam suam, & aperuit os suum, absque ullo termino: &

descendent fortes ejus, & populus ejus, & divites ac læti in eum, Esa. 5. v. 14.

Veri Christiani ante omnia Regnum Dei quarant, & justitiam ejus, Regnum nimirum gratiæ, quod passim Regnum cælorum dicitur, Matth. 8. 19. 20. 22. à Petro verò regale Sacerdotium, 1. Petr. 2. v. 9. sic à Regno gloriæ non excludentur, ubi justii in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum. Idèd accipient Regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini, Sap. 5. v. 16. Hoc sufficit nobis, est enim *ἡλθὲν τῆς πίστεως ἡμῶν*, 1. Petr. 1. vers. 9.

Id Deus omnibus nobis largiatur,
Amen.

DOMINICA XVI. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 7. v. 11 -- 17.

EXORDIUM.

DE junioribus Studiofis Hierochuntis, Elisæi discipulis memoratur, quod egressi sint ad colligendas herbas agrestes, ut famem sedarent, in annonæ caritate, quæ invaluerat. Invenieruntque vitem sylvestrem, & collegerunt ex eâ colocyntidas agri, quibus pulmentum aded amarulentum factum, ut non potuerint comedere. Detulerunt ergò id ad Præceptorem suum, dicentes: O vir Dei, mors est in ollâ! Misit ergò Elisæus farinam in ollam, & statim ab amaritudine liberatum est, ut cum voluptate pulmentum comederint, 2. Reg. 4. v. 39. seqq.

Allegoricè hoc ipso depingitur miseria, in quam humanum genus per peccata incidit, sicut & gratiosum auxilium, quod cælestis Elisæus Jesus Christus nobis præstitit. Verè enim Protoplasti nostri lapsu suo id effecerunt, ut terra maledictione infecta sit: & ubi ante fructus jucundissimos protulit, qui hominem & corpore & anima refecerunt, ecce, jam vites sylvestres & amaras colocyntidas producit, quæ non aptæ sunt palato nostro: & quod maximum est, pulmentum nostrum tanto amaro infectum est, ut morti, ejusque prodromis variis morbis subjecti simus, juxta rigorosam sententiam, quam Deus statim

iii

post

post lapsum super Adamum pronunciauit: Maledicta terra propter te, cum molestia comedes ex ea, eunctis diebus vitæ tuæ. Spinæ & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumtus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris, Genes. 3. v. 17. seqq.

Verum cœlestis Elifæus, Servator noster pietissimus, farinam saccharatam nobis attulit, & sanctissimo merito suo, omnes nostras miseras, & afflictiones, imò mortem ipsam adedò edulcavit, ut jam Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28. quod si patiuntur, non ut homicidæ, aut fures, aut malefici, sed ut Christiani patiuntur, & glorificant Deum in isto nomine, 1. Petr. 4. v. 15. Sin moriantur, exploratum habent, quod mors quoque sibi exitio non sit, sed pretiosa in oculis Domini, Psal. 116. v. 15. locuples lucrum afferens, Phil. 1. v. 21. dum è miseriis in requiem veniunt, & requiescunt in cubili suo, Esa. 57. v. 2.

Festivum exemplum prostat in prælecta Pericope, ubi Christo funus obviam offertur, cum discipulis suis Nain ingrediturienti, verè tum mors in ollâ erat: Verum simul ac loculum tergit, & farinam dulcissimam gratiosorum labiorum suorum super defunctum sparsit, h. e. verbum vitæ ex ore suo blandissimo emisit, inquit: Adolescens dico tibi, surge! ecce, resedit, qui erat mortuus, & cepit loqui, & dedit illum matri suæ.

Nos instituti nostri memores videbimus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

IN Papatu multa gloriantur de S. Veronicâ, quod Christo, ad locum Calvaria educto obviaverit, & dum ipsi strophium obtulerit, Dominus, ubi guttas sanguineas & lacrymas oculis suis absterferit, simul effigiem vultus sui miraculosè eidem impresserit. Hoc strophium Romæ in templo S. Petri, tanquam peculiare sanctuarium, anniversariè circa Paschatos festum plebi ostenditur, & juxta magnæ indulgentiæ promittuntur. Verum Evangelistæ ne apice quidem mentionem ejus faciunt, quod si verò id factum esset, propter miraculum illos id non reticuisse, probabile est, maxime quia reliquas mulieres, quæ Christum in eductione comitaturæ sunt, nominatenus exprimunt, Matth. 27. v. 15. Marc. 15. v. 40.

Verum in prælectâ Pericope ejusmodi Strophium invenimus, in quo facies Christi efficta est, quando viduæ tristissimæ lacrymas quasi abstergit, dicens: Noli flere. Id ad salutarem nostrum usum confervemus, & quando in calamitatis incidimus, hoc solatio nos confirmemus, quod non repellat in sempiternum Dominus, etiam si affligit, & miserturus sit secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim excruciat homines, ex corde suo, Thren. 3. v. 23.

Querela respicit

I. Mor-

I. *Mortis dominium*, quæ quidem initio non fuit, sed per Diaboli invidiam demum in mundum intravit, Sap. 2. v. 24. nunc vero in omnes homines pertransiit, quando quidem omnes peccarunt, Rom. 5. v. 12.

Paulo autem optimus Servator in Capernaum mortem offenderat, non modo in domo Centurionis, apud servum Paralyticum: sed & in ædibus Jairi, cujus filiola defuncta erat. Jam ipsi denuo obviat, & in publica via superbit, cum funere & feretro. Hæc via ipsi per peccata patefacta, & stipendium peccati mors est, Rom. 6. v. ult.

Sicut igitur olim in Ægypto cum Angelus percussor transiret, nulla domus erat, in qua non jaceret mortuus, Exod. 12. v. 31. Ita & nulla civitas, nullus pagus & nulla domus reperiri potest in hoc mundo, ubi à morte tutus sis: hæc falce sua cuncta demetit, & sagittis suis omnes prosternit, ubicunque terrarum fueris. Hinc *Hormisdas* *quærenti Imperatori Constantino: quid Romæ vidisset?* respondit: *Mors ibi etiam dominatur.*

Idem hinc Nainitæ experti, dum juvenis in flore ætatis à morte abreptus Christo obviat fertur, ut terræ mandetur & sepeliatur: nullum hinc discrimen mors observat:

Est commune moti, mors nulli parcit honori, (tis)

Dives, ut & fortis veniunt ad limina mortis. Hinc David quærit: quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem? Psal. 89. v. 49. Nos ipsi respondere possumus ex experientia: Nemo. Adam primus noster parens vixit annos nongentos & triginta, ubi est? mortuus est, Gen. 5. v. 5. Sethus vixit annos nongentos & duodecim; ubi

est? mortuus est. Mathusalem vixit annos nongentos sexaginta novem, ubi est? mortuus est. Lamech vixit annos septingentos, septuaginta septem, ubi est? mortuus est, Gen. 5. v. 31. Nemo hinc exemptus est, nisi Enochus & Elias, qui & corpore & anima in cælum assumpti, ut essent Candidati æternitatis, nosque de vita æterna certiores redderent. Memento igitur mori, sedulo cogitemus, & mortem singulis momentis expectemus. Nam à mane usque ad vesperum immutabitur tempus, Sap. 18. v. 26.

Hoc nisi fiat, facile ex temporali morte in æternam prolabi possumus, quæ damnatos arrodet in æternum, Apoc. 9. v. 6. Nam ex inferno nulla redemptio, Ps. 49. 15.

II. *Corporis domicilium.* Hic audimus defunctum adolescentem porta civitatis efferri, ut sepeliretur in terram, matrem omnium nostrum, Sir. 40. v. 1.

Nobis, Dilecti, idem restat. Mors enim truculenta adedò hominem deformat brevi tempore, ut consumatur, tanquam à tineâ, pulchritudo ejus, Psal. 39. v. 12.

Oculi, qui instar crysalli luxerunt, obscurantur. Genæ & labia, quæ antè purpuratæ videbantur, pallefcunt. Manus & pedes, qui antè ad munia sua obeunda promti & firmi erant, languescunt. Lingua, quæ ante volubilis, & variis facietis jucunda, ligata est. Breviter, omnia membra consumuntur, ut homo vivens adhuc terram redoleat: & postquam defunctus est, optimi ejus amici nausea illius capti, cum eo ad terram properant, sicut & sancti Dei homines Abraham, Isaac, Jacob, Joseph aliiq; defunctos suos honesta sepultura affectis, legimus.

Quamvis igitur magni beneficii loco reponendum sit, si homo sepultura post mortem honestetur: attamen si rem ipsam respicias, ingens miseria est, quæ à peccato & principaliter à Diabolo oritur, dum ita in terra ad putredinem, imò vermibus, bufonibus & serpentibus devorandum videmus exponi, Sir. 10. v. 13. Hinc Jobus: Putredini dixi, Pater meus es: Mater mea, & soror mea, vermibus, Job. 17. v. 14.

Placilla Imperatoris Theodosii Coniux, Maritum suum subindè his verbis compellasse dicitur: Semper tibi cogitandum est, ô Imperator, quid fueris, quid sis, & quid eris:

Quo ipso commonere Imperatorem voluit

1. *Ingressus*, quod nimirum ut alii homines, terra & cinis sit, Gen. 18. v. 27. in peccatis conceptus & natus, Psal. 51. v. 6. & licet summo loco natus sit, non tamen habere illum aliud nativitatibus initium, sed primam vocem, similem omnibus emisisse eum plorantem, Sap. 7. v. 4. 6.

2. *Progressus*, quod nimirum Imperator sit, Caput summum in Romano Imperio, ideò decere illum, ut Regnum fideliter administret, quia futurum sit, ut Altissimus interroget opera ejus, Sap. 6. v. 4.

3. *Egressus*, quod futurus sit spoliolum mortis & esca vermium. Omnibus quippe hominibus semel statutum est mori, Hebr. 9. v. 27. ibi Imperatoria Majestas cessat, neque enim corona manet, à generatione in generationem, Prov. 27. v. 23.

Hoc ad omnes Christianos applicari potest, qui & ipsi tres voculas observent:

1. *Olim*, qui fuerint, videlicet, filii iræ, Eph. 2. v. 3.

2. *Nunc*, qui sint, nimirum Filii Dei, 1. Joh. 3. v. 2.

3. *Tunc*, qui futuri sint, nempe hæredes Dei & cohæredes Christi, Rom. 8. v. 17.

Equidem omnibus nobis moriendum, sumusque pulvis & cinis, hoc perpetuum fœdus est, Sir. 14. v. 18. Sed scimus, quod Redemptor noster vivit, & novissimo die de terra surrecturi sumus, Joh. 19. v. 25. interea humilitatem hæc discamus, quia adeò mortalia & corruptibilia corpora habemus, ne arrogantius de nobis sentiamus, quam oportet, Rom. 12. v. 3. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos, juxta tabernacula pastorum, Cant. 1. v. 8. h. e. abi in cæmeterium, & fac tibi aperiti sepulchrum, ubi pulcherrimus hominum jacet: tum perspicias, qualis sis, nempe cadaver fœtidissimum, *saccus stercorum*, *esca vermium*, ut Bernhardus loquitur. In hæc consideratione non modò à fœdâ superbia abstrahemur, Sir. 10. v. 9. sed & vitæ piæ studentes, nunquam peccabimus, Sir. 7. v. ult.

III. *Viduarum deliquium*. Exemplum prostat in prælecta Pericope, in viduâ Nainiticâ: hæc geminæ miseriæ exposita erat: Deus maritum pridem abstulerat, jam & filius defunctus erat, qui solamen senectutis ipsi fuisset, ut hanc spem de ipso conceperat. Hic verè dixeris: *Ærumna duplicatur piis: je lieber Kind / je schärffer Nuth*. Judicium enim incipit à domo Dei, 1. Petr. 4. v. 17.

Viduæ sunt personæ miserabiles, quæ in tribulatione sunt, Jac. 1. v. ult. caput enim suum amiserunt, h. e. maritum, Eph. 5. v. 23. sicut igitur corpus sine capite est in-

star

star amputati trunci, qui seipsum adjuvare nequit: Ita & viduæ omni præsidio & solatio destituuntur in terris, quilibet ipsis insultare gestit, inquit: Incurvate, ut transeam, Esa. 51. v. 23. Hinc in lingua Romanâ vocatur vidua, quasi à viro divisa, Germani dicunt *Wittve* / q. d. *wie weh?* Væ mihi miseræ, nemo me respicit, nemo me protegit, quando filii seculi dicunt: Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, Sap. 2. v. 10.

Quod si verò miseria illis duplicatur, ut huic viduæ, ut unico filio, in quo, post Deum hæret spes eorum, priventur per mortem, dolor eò major est. Hinc Spiritus sanctus maximum luctum sic describit: quod sit planctus unigeniti, Jer. 6. v. 26. Zach. 12. v. 10.

Jacobus plurimos habuit filios attamen amisso Josepho consolationem accipere noluit, Gen. 37. v. 35.

Quantum luctum edebat David, mortuo filio immorigerò Absolone, cum tamen adhuc Salomonem haberet, qui frugi erat, 2. Sam. 18. v. 37.

In quanto luctu & squalore puratis parentes versari, si unicum modò filiolum habeant, & illo per mortem priventur, de quo dici potest, quòd Æneas de Ascanio:

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Jonas putabat, se non temerè lugere, quod sibi cucurbita in una nocte periisset, Jon. 4. v. 9.

Quantò magis pii parentes dolore afficientur, quando non cucurbita illis petiit, sed unicus filius à morte abreptus est.

Maximè ubi mater jam tum in viduatu degit, & marito privata est, qui melior est,

quam decem filii, 1. Sam. 1. v. 9. uti ejusmodi casus sæpè accidunt, & exemplum in Evangelio prostat: Sine dubio vulnus olim in morte mariti inflictum recruduit, ut dixerit cum Naëmi: Ne vocetis me Naëmi (pulchram,) sed vocate me Mara (amaram,) quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens, Ruth. 1. v. 21.

Sed sperent illæ in Deum, 1. Tim. 5. v. 5. qui respicit in orationem humilium, Psal. 102. v. 18. & in verbo suo promisit, se maritum illarum futurum, Esa. 54. v. 5. quid igitur contristabuntur? Siquidem Domini est terra, & plenitudo ejus: Orbis terrarum, Psal. 24. v. 1. & potest omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus, Eph. 3. v. 20. Devolvent proinde super Dominum viam suam, & sperent in eo: & ipse faciet, Psal. 37. v. 5.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
I. *Ex Christi operatione*, quâ viam quasi morti intercludit, ut cursum suum abolere nequeat.

In genere mortem timemus, & effugimus, quoad fieri potest, sicut quinque illi Reges Amoritarum fugerant, & in spelunca se absconderant, Jos. 10. v. 16. Verùm Christus frontem ipsi offert, gradiens in multitudine fortitudinis suæ, Esa. 61. v. 1. tanquam Dux vitæ, Act. 3. v. 14. qui propediem morti pestilentia, & inferno lues futuruserat, Ol. 14. v. 14. ut nos liberaret, qui timore mortis per totam vitam obnoxii eramus servituti, Hebr. 2. v. 15.

Summus Sacerdos V. T. in mortuis non poterat contaminari, Levit. 21. v. 1. hoc in-

dicat, legem neque peccatum, neque stipendium peccati abolere posse. Nulla quippe lex data est, quæ possit vivificare, Gal. 3. v. 21. Verùm noster Pontifex callet artem, qua per mediam mortem viam invenire, & exitium mortis ostendere possit, Psal. 68. v. 21. Ideò obviat hîc Goliatho huic immmani, nec approbat ejus Symbolum: Cedo nulli: sed funda sanctissimi meriti sui ipsum prostermit, ut & nos ipsi insultare valeamus, dicentes: Ubi est mors stimulu tuus? ubi tua, inferne, victoria? 1. Cor. 15. v. 55.

Hîc non inconcinne quadrartypus Gehasi & Domini sui Elisæi, sicut Augustinus applicavit. Elisæus enim baculum suum Giezi tradebat, ut vaderet, & hospitis suæ filium resuscitaret; verum frustra erat, donec Elisæus accederet, & rem expediret, 2. Reg. 4. v. 29. Sic Moses quidem Christum antecessit, & terrorem cum pœna attulit: sed mortem abolere non potuit, dum Christus ipse venit, & Diaboli opera dissolvit, 1. Joh. 3. v. 8. Nam lex per Moysen data: gratia & veritas per Jesum Christum facta est, Joh. 1. v. 17.

II. *Ex bajulorum statione.* Simulac enim Christus loculum tetigit, steterunt, qui portabant. Procul dubio & corda eorum tetigit, virtute sua divinâ, qua omnes creaturas in obsequium suum flexit, Psal. 78. v. 1. Dictum ejus est factum, Psal. 33. v. 9.

Diabolus jam nos arripuerat, ut nos in infernum deportaret: verùm, ut David leonem & ursum persecutus est, & eruit ovem de ore illorum, 1. Sam. 17. v. 35. ita & æternus Dei Filius prodiit, & loculum tetigit, hoc est, in susceptâ humana natura gigante prædam eripuit, Esa. 49. v. 24. Nunc

bajuli consistunt: Mors non amplius trucidat, infernus non deglutit, Diabolus non seducit, Christus inducias nobis conciliavit. Justificati enim fide pacem habemus cum Deo per Filium ejus Jesum Christum, Rom. 5. v. 1. Si verò pacem cum Deo, quis contra nos erit? Rom. 8. v. 32.

III. *Ex adolescentis resurrectione.* Mortui enim in oculis ejus non defuncti sunt, sed vivunt: iccirco hunc defunctum adolescentem ut sanum & valentem inclamat, qui & vocem Christi extemplo percipit. Vox enim Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, Psal. 29. v. 4.

Ubi unquam terrenus Rex & Monarcha tanta audaciâ & virtute fuit, ut morti unicum funus eripuerit? Sed Christus id fecit, ut hîc cernimus dum morti prædam suam eripuit, & vacuo loculo dimisit. Eadem ratione die ultimo cum omnibus nobis aget, ut ipse testatur, Johan. 5. vers. 28. 29.

Idea ejus rei nobis hîc dilucidè ostenditur. Christus Nain proficiscens, magnâ comitatus est turba. Ita quando die extremo veniet ad judicium, non solus venturus est, sed omnes S. Angeli cum eo, Matth. 25. v. 31.

Ibi sub porta Civitatis, vox ejus insonabat, quæ dicebat ad juvenem: Adolescens dico tibi, surge! Ita die novissimo non tacitè, sed in jubilatione descendet de cælo, 1. Thess. 4. v. 16. & altâ voce clamabit: Revertimini filii hominum, Psal. 90. v. 4.

Ibi ad vocem Christi resedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui: Ita & nos die ultimo capita nostra elevabimus, & in florida juvena incedemus, ut Augustinus docet, quin similes erimus Angelis Dei, Matth.

Matth. 22. v. 30. & sicut illi ut plurimum in forma juvenum comparuerunt, Mare. 16. v. 5. sic & nos frugiferi erimus, germinabimus & virebimus, & annunciemus magnalia Dei in æternum, Psal. 92. v. 15.

Ibi Christus resuscitatum adolescentem matri suæ restituit: sic & ibi amici in plenissimo gaudio convenient, unde dies novissimus, dies restitutionis omnium dicitur, Act. 3. v. 19. Hoc animum nobis addat, ne mortem exhorrescamus, quia nos in sepulchro retinere nequit, sed dimittere rursus cogitur, ut Balæna Jonam jussu Dei indemnem revomere cogebatur, Jon. 2. v. ult. Dicamus ergò cum Ecclesia:

Hoc fulcior solamine
Molestâ in ægritudine,
Scio die quod ultimo,
Cum gaudio,
Sim suscitandus ex humo.
Dei boni potentia,
Retundet mortis spicula,
Servabit ossa corporis,
Ut singulis
Convestiar membranulis.
Bonum Deum cum júbilo,
Videbo, nullus ambigo,
In sempiterna gloriâ
Quæ mi data.
Sit laus ei per secula.

De Tertio,

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Viduis succurre.* Cum enim Servator mæstam hanc viduam cerneret, ut funus filii sui amarissimis lacrymis persequentem; misericordiâ intima motus, non

modò amicè eam compellabat, sed & re ipsa adjuvabat, filium ejus resuscitando, propter quem in hunc luctum conjecta fuerat.

Nos quoque viduarum curam habeamus, easdem adjuvantes,

1. *Auxilio*, non enim multum sibi acquirere possunt, idèd aliorum beneficentiâ indigent, qui rivulos aquarum in plateas derivent, Prov. 5. v. 16. & necessitatibus sanctorum haud inviti subveniant, Rom. 12. v. 13. id Deus non sine mercede relinquet, si vel potus frigida saltem fuerit, Matth. 10. v. ult. Est enim judex viduarum, Psal. 68. v. 6. & sicut bonum, quod illis exhibetur, non sine remuneratione relinquit: sic & severâ pœna afficit eos, qui non verentur easdem offendere, Ex. 22. 22.

2. *Consilio.* In judicando esto pupillis misericors, ut pater, & pro viro matri illorum; & eris tu, velut Filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater, Sir. 4. v. 10. 11.

3. *Præsidio.* Adhuc enim malefetiati inveniuntur, qui opprimunt in judicio pauperes, & vim faciunt causæ humilium, ut sint viduæ præda eorum, & pupillos diripiunt, Esa. 10. v. 2. Si Magistratum compellant, & ejus opem implorant, sæpè frustra implorant, ut exemplum prostat, Luc. 18. 7.

Hoc verò minimè fiat, Christiani enim Magistratus ante omnia operam dent in officio suo, ut viduæ & pupilli jus suum consequantur.

Hoc fecit Jobus, c. 29. v. 12. 15. David, 2. Sam. 14. v. 5.

Hæc laude quoque commendatur Imperator Ferdinandus I. Nam cum aliquando Secretarius ejus viduâ, quæ literas sup-

supplices ipsi exhibere volebat, rejicere vellet, sub prætextu, quod Imperator alia negotia expedienda haberet, quàm quod causæ ejus locum relinquere posset; Ille respondēbat: Admitte miseram hanc viduam: nisi enim pauperes audiverimus, Deus quoque non audiet nos.

Idem faciant omnes, qui Magistratum gerunt, apprimè caventes, ne iisdem vim inferant. Redemptor enim illorum fortis est, & ipse aget contrà te causam illorum, Prov. 23. v. 11.

II. *Defunctos luge.* Hic audimus, multam turbam cum adolescente hoc in funus prodiisse. Ex hoc exemplo instrumur, quod & nos defunctos nostros honesta sepultura afficere, & exequias eorum nostrâ præsentia honestare debeamus, juxta admonitionem Siracidis, qui vult mortuo quoque non prohibere gratiam, c. 7. v. 37. nempe ut Lutherus in margine explicat, ut vestiamus eos, & honestè sepeliamus, propter Deum & resurrectionem, quia in vitâ sua membra Christi, Eph. 2. v. 30. & templa Spiritus sancti fuerunt, 1. Cor. 3. v. 16. & aliquando reviviscunt & cum corpore resurgunt, Esa. 26. v. 19.

Edò non modò Processiones spectant, quæ in honorem defunctorum instituuntur: sed & conciones funebres, quæ jam olim in Gentilismo usitatæ fuerunt, siquidem Cicero veterem legem citat, quæ ita habet: Honoratorum virorum laudes in concione memorantur. Sic David Rex Abnero egregiè parentavit, his verbis: Nequaquam, ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coràm filiis

iniquitatis, sic corruisti, 2. Sam. 3. v. 33. Id in populo Dei perpetuus mos fuit, ut Rabbi nescio quis testatur: Nullum funus factum est in Israel, absque verbo Prophetico. Id ipsum etiam apud Christianos invaluit, sicut Gr. Nazianzenus, non modò fratri suo Casario, & forori Gorgonia, sed & Basilio M. Archiepiscopo Casariensi diversos Sermones funebres habuit, qui in scriptis ejus extant. In Germania hic mos obtinuit A. C. 1246. ut Albertus Crantzius memorat, quod & à tempore illo perpetuò continuatam est, & vergit non modò in honorem demortuorum, quorum memoria nunquam obliterabitur, Psal. 112. v. 6. sed & afflictis in solatium. Et tandem omnibus concomitantibus in salutarem instructionem, quomodo & ipsi ad beatam *in hoc mundo se* præparare debeant, siquidem, hodiè mihi, cras tibi, Sir. 38. v. 23. Eccles. 7. v. 3.

III. *Christo confide.* Equidem mors ultimus est inimicus, 1. Cor. 15. v. 26. qui conjunctissimos amicos corpus atque animam divellit, & prodromi ejus sunt varii morbi, qui tandiu hominem arrodunt, donec eum prosternant, juxta illud: Timores cordis adinventio expectationis, & dies finitionis, Sir. 40. v. 2.

Sed quando Christum intuemur, qui verbo mortem fugare, & defunctos resuscitare valet, nullam causam habemus metuendi, sed potius beatam dissolutionem anhelandi, cum Paulo suspirantes: Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo, Phil. 1. v. 23.

Hic Servator pauca verba profert, ad quorum sonum defunctus erectus resider, & matri restituitur. Super quæ verba Cyril-

Cyrillus scribit, quod vox Christi adeo penetrabilis fuerit, ut, si tum temporis ad loculum juvenis, vel tumulum Lazari clamasset: Vos mortui qui ab Adami ætate ad hoc usque tempus occubistis, surgite cum hoc adolescente, cum Lazaro hoc: illi omnes necessario surrexissent & prodissent. Quia verò tum temporis nondum fieri debuit, ideo die novissimo efficaciter illud demonstrabit, & quamprimum vocabit: Surgite mortui, venite ad iudicium! Dicitur erit factum, & mortui magni & pusilli stabunt coram throno ejus, Apoc. 20. v. 12. Esa. 40. v. 36.

Hoc illorum solatio infervit, qui parentibus, conjugibus, liberis, amicis & propinquis per mortem privantur. Die novissimo omnes vicissim conveniemus. Ibi Servator, jam mæsto viduo conjugem suam, matri jam lugenti, liberos, amico jam dolenti propinquos suos restituet, ut neque vita neque mors illos amplius separare possit. Rom. 8. v. 38. sed in æterna gloria cohabitabunt, & cum Christo erunt semper, 1. Thess. 4. v. ult.

Quod nobis omnibus ex gratiâ largiatur Deus Trinitus, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

DOMINICA XVII. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 14. v. 1 -- 12.

EXORDIUM.

CYgnum Numen divinum inter aves immundas retulit, & Israelitis severè interdixit, ne carne ejus vescerentur, Lev. 11. v. 17.

Cygnus avis non contemnenda est, magnitudine anseris, vel major adhuc, & si rectè præparetur, non adeo respuendus videtur. Atqui Judæis anseribus vesci licitum fuit, non verò cygnis, causam nonnulli ex veteribus hanc reddunt, quod niveas pennas gerat, in carne nigrâ; quo ipso imaginem exhibent omnium hypocritarum, qui exterius speciem sanctitatis præseferunt, in corde verò nigri sunt, omnimodis vitiis repleti: quod abominabile est coram Deo. Ex hac causa Deus Israelitis interdixit, ne cygnos sacrificarent nec comederent, ut hinc exemplum caperent,

sicut volucrem hanc repudiaverit, quod sub candidis plumis nigram carnem occultet: Sic multò magis ipsi improbatum est hypocritas, qui ore dicunt, Domine, Domine, Matth. 7. v. 22. & tamen in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis eorum, Act. 8. v. 23.

Deinde inde quoque esse potuit, quia de cygnis refertur, quod suaviter canent, sed non amè, quam moriantur, ut Ovidius canit:

Catrina jam moriens canit exequialia
cygnus,

Cantator cygnus funeris ipse sui.

Hypocritæ enim idem faciunt, ut pœnitentiam suam in agonem usque mortis procrastinent, putantes, tunc sat citò id fieri:

kkk

fieri: